

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De principiis hujus magisterii artificialibus. Divisio dicendorum in hac parte, cum insinuatione perfectionis in secundo libro tradendae. Cap. XXXIX

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

QUARTA PARS.

De principiis hujus magisterii artificialibus.

Divisio dicendorum in hac parte, cum insinuatione perfectionis in secundo libro tradendæ.

CAP. XXXIX.

Nunc vero quæ determinata sunt Principia hujus magisterii : & perfectionem ejusdem narremus. Sunt itaque hujus artis principia modi operationum ipsius, quibus applicatur artifex ad hoc magisterium : Qui quidem ad se invicem diversi. Est enim unus modus sublimatio, & descensio alter, & alius distillatio, alius calcinatio, alius solutio, alius coagulatio, & alius fixio : Octavus vero & ultimus ceratio. De quibus singulariter propriam narrationem faciemus in sequentibus. Perfectio autem Magisterii hujus consistit ex consideratione rerum, quibus pervenitur ad operis complementum ; & ex consideratione rerum juvantium perfectionem ; & ex consideratione ipsius rei quæ ultimo perficit ; & ex consideratione, quæ cognoscitur utrum in perfectione sit Magisterium, vel non. Consideratio igitur rerum per quas pervenitur ad operis comple-

plementum, est consideratio substantiæ manifestæ & colorum manifestorum, & ponderum in unoquoque corporum mutandorum, & eorum quæ non mutanda sunt ex radice suæ naturæ absque ullo artificio: & consideratio eorum similiter in radice sua cum artificio, & consideratio principiorum corporum secundum suum profundum occultum & manifestum, secundum naturam suam, sine artificio, & eorum similiter cum artificio. Quoniam, si non cognoscerentur corpora & illorum principia in profundo suæ naturæ & manifesto, cum artificio & sine: Et si nesciremus quid superfluum in eis & quid perfectionis, & quid diminutum esset in eis, necesse foret nos nunquam ad perfectionem transmutationis illorum pervenire. Consideratio autem rerum juvantium perfectionem, est consideratio naturarum illarum rerum, quæ corporibus sine artificio videmus adhærere & mutationem facere: Ut sunt, Marchesita, Magnesia, Tutia, Antimonium & lapis Lazuli: & consideratio eorum quæ sine adhærentia corpora mundificant: ut sunt Salia, & Alumina, Nitra & Boracia, & quæ suæ naturæ sunt: & consideratio vitrificationis mundantis per consimilem naturam.

De